

Nobilissimo & Clarissimo huius Disputationis

Auctori,

DN. JACOBO HARDERO.

H T cum animum manumque Disputationi Tuæ adpo-
neres, studium Tuum curaque in perqvirendis iis,
quæ ad argumenti Tui elaborationem quocunqve
modo facere videbantur, non tam in admirationem
me, quam, penè dixerim, stuporem adduxit; nec enim
credo, vel ullam in universâ bibliothecâ meâ pagellam, quam non
excuteres, à Te relictam esse, quin & collectanea mihi Tua testa-
bantur, aliorum quoque rem librariam Te consuluisse & sedulæ
indefessæque apis ad instar undecunqve corrogasse, quod vel ju-
diciū Tuum acuere, vel ad rem facere aliâ quacunqve ratione
videbatur: ita non minori cum voluptate Disputationem ipsam,
cum proprio Marte elaboratam mihi offerres, sum complexus.
Rari enim res exempli est ab eâ, in quâ constitutus es, ætate, stu-
diorumque, quod nondum adeò longo tempore decurristi, stadio,
foetum prodire, ab ingenio laudabilem & iudicio nequaquam
immaturum. Quare non dubito, isthoc Te documento & Patro-
nis Tuis, qui Te mihi sollicitè commendarunt, collocati hic tem-
poris gratam acceptamque rationem redditurum esse, & dignum
omnibus visum iri, cuius honestissimos laudabilesque conatus, &
expectationem, quam patriæ Tuæ facis, nequaquam vulgarem,
non sustentent tantum, sed provehant & deducant ad maturita-
tem. Quod ut felici cum successu, publicique egregii fructu
fiat, DEUM summum omnium consiliorum nostrorum rectorem
imploro. Vale. Scr. XXII. Novembr. MDCCIIIX.

JO. FECHT, D. Disput. Præses.